IN LVNAM NVBIBVS TECTAM DVM ROMAE

AB EMINENTISSIMO PRINCIPE

ANTONIO BARBERINO

S. R. E. CARD. CAMERARIO

Festi exhiberentur ignes

IN HONOREM NATI

GALLIARVM DELPHINI

CARMEN EXTEMPORALE

Habitum consequenti mane

IN COLLEGIO ROMANO

AVCTORE

IOANNE LAVRENTIO LVCCHESINIO
Lucensi è Societate IESV.

Biblioth. Soc. Colli Rom: adscriptus



Romæ, Typis Ignatij de Lazaris, 1662. *Superiorum Permissu.*

CARMINIS EXCVSATIO:

POEMA hoc vnica nocte properatum fuisse, nimium quantum sua tenuitas prodit, & apertè patuit, cum illud consequenti festos ignes mane publicè recitaui. Nunc verò ne vnum quidem versiculum additum, vel immutatum fuisse, prorsus euincit id quod profiteri possum, scilicet: Idem hoc esse, cuius exemplum, altero à ludicris ignibus die, traditum est Eminentissimo Principi Antonio Cardinali Barberino. At illius præstantissimo nomine abuti non possum ad falsum asserendum. Quid quod & in Galliam illicò est transmissum, vbi non desunt, qui humanissimè minitentur, se ibi publicæ luci tradituros Carmen hoc suis tenebris dignissimum, quas habuit obste-

trices. Quod si contigerit, & fortasse iam contigit, patebit vultus omnino concolor vtriusque. Otiosum esset, ne dicam ineptum, inanis gloriolæ auram hoc testimonio captare, cum quanta demum cumque celeritas non tueatur Vrsæ partum infelicem; Sed id eo solum nomine præ me fero, vt Eminentissimi Principis virtus effulgeat, cuius laudes celebrare aggressi, ne trioboli quidem Poetæ compescere calamum valent.

IN LVNAM NVBIBVS TECTAM, DVM FESTI EXHIBERENTVR IGNES *IN HONOREM NATI* GALLIARVM DELPHINI CARMEN EXTEMPORALE.

CYNTHIA siderei dux agminis, aurea noctis
Vmbrosæ lampas, Phæbei luminis hæres,
Quæ funesta tuos operit caligo nitores,
Nocti adimens oculum, ac ceco solatia mūdo?
Siccine cum stellas pariat terra æmula Cælo,
Ludicra quas animat flamma, atque vmbratilis Ætna
In superos vibrat, renouans fera bella Gigantum,
Nube premis timidos ignes Latonia Virgo?
Debueras pulchris equitare per astra quadrigis,
Nec radios hebetare, aut cornibus ire retusis:
Pandere centenos Phæbe vigilantior Argo

Mons igneus biuertex fœcundus ludicris ignibus Aetnam referebat.

Debueras oculos, cum vincens æthera flammis
Siderei tellus est visa Colonia Cœli.
Delia cur operis nigro pulcherrima vultum
Sirmate, cum pleno cöeant tua lumina cornu?
Inuida num terræ despectant astra theatrum,
Æmula quod Cœlo referat domus alta Quirini?
Parcite Cœlicolæ; at nullo velamine tectus
Cur non excubias agitat mortalibus Æther,
Nostraque delibat ridenti gaudia vultu?
An Phæbe inuidiam Thracum, miserumque pauorem
Induitur, cum Pax, & Hymen DELPHINA coronant,
Horridaque Odrisiæ portendunt funera Lunæ,
Hinc adeo nigra condit caligine vultum?
At num Christiadum lachrymaris Cynthia risum,
Atque hilari rènuis face gaudia nostra tueri?
Luna decus Cœli, Cœli tutabitur hostes,
Cognatas Erebo, ducens ad bella Phalanges?
Ancipitem retrahit dispar sententia mentem:
Nec Phœbea animo vis incidit: Enthea, Diuæ
Pierides, dudum mihi cur præcordia cessant,
Pandere, quæ Vati Phœbi cortina recludit?
Cur tua regna, animi penetralia peruia nostri
Non iterum, Musis comitate, reposcis Apollo?
Hùc age Rex Pindi, properatum suggere carmen,
Quod raptim ad facilem vigilet breuis hora lucernam:
Cur tua celatis per Cælum cornibus iuit
Luna soror, mesta vultum sub nube cohercens,
Romula cum tellus festiuis plausibus ortum
Delphini exciperet; mox post quàm blanda quierunt
Fulmina, ludicrique ignes, sua lumina rursus

Ex-

Explicuit, fratremque omni te reddidit orbe ?
Gallica qui fido tutatur numine Regna
Aliger, Æneadum ſtudia, ornatosque triumphos
Delphini luſtrans, quid cogitet aura veretur,
Aura parens imbris, nubisque auriga malignæ.
Namque triumphalis non ſicca aurora diei
Omine terrebat mentem, pluuiasque parabat,
Vulcani cladem, atque vndantia fata volantis.
Ergo ſollicitus rapidis ſecat æthera pennis,
Nubesque, atque ignes valles, Lunæque per orbem
Inuectus, petit Aligerum, qui candida Lunæ
Regna rotat, gyroque rapit ſeptemplice flammam
Confinem Cœlo, cogitque in fulmina nubes,
Ventosque Æolio tumidos educit ab antro.
Tum ſic alloquitur Princeps, cui Gallia cordi eſt.
Aſpicis vt nigro Cælum tegat ordine nubes,
Triſtitiamque, metumque ferens, fœcundaque ſoluat
In pluuiam ſeſe, vt nitrati pulueris ignes
Excidio inuoluat ? Sic prodiga dona ſereni,
Et nigri officiunt pariter damna inuida Cæli ?
Plauſit Agonali dum nox heſterna theatro;
Pulchra nimis curru Phœbe pulſabat Olympum,
Æmula fraternis radijs, & nocte diurna
Ludentis feſtos hebetabat ſulphuris ignes.
At nunc Pleiades properant, & Aquarius vrnam
Expedit, Oceano grauidam: tonat alta Fauonî
Iam domus, & belli dat ferrea buccina ſignum,
Quo ruet in terram properato flumine nimbus,
Ne rotet in Superos audax ſua fulmina tellus.
Ludimus, augurioque homines terremus inani ?

An ruptis ibunt largi de nubibus imbres ?
Non equidem reor: arridet nam lætus Olympus
Plausibus ANTONI : pluuia nec nubila plorant,

Quinquaginta Virgines dote ab Em. Card. Antonio donatæ.

Illius donis cum, Cœli cura, puellæ
Exultant, floremque tuentur labilis æui.
Fulmina cur superi vibrent, si grata Tonanti

In Monte Pincio ad radices Templi Augustissimę Triados festi ignes exhibebantur,

Pegmata Diuinæ Triados famulantur honori,
Ambitiosa sacri vestigia lambere templi ?
Quid quod sidereo tellus blanditur Alumno
Delphino assultans: celebrat si munera Cœli
Martia Roma, procul nubes, procul imber, & Austri.
Dixerat, atque illi contra hæc Rex äeris addit.
Parce metu Galli custos fidissime Regni,
Non hæc Romulidis portendunt nubila bellum,
Delphinoque tuo: peregrinum in nubibus æquor
Hærebit, nec iter Neptuni ad Regna mouebit.
Quin & damna magis, magis ipsa pericla iuuabunt,
Custodem testata Deum, qui Numine fausto
Gallica plaudentis fortunat gaudia Romæ.
Sirmate nigranti subtexerę profuit astra,
Ne pulchro Cælum comprendat Cynthia vultu,
Æmula missilibus flammis, quas Ætna Quirini
Innocuo latè fæcundas sulphure fundet.
Nube premes roseum Phœbi soror aurea currum,
Cœlicolis certans cum pandet Roma theatrum:

Peracto igniũ Ludo disiectis nubibus Luna se aperit.

Mox cùm flammarum genitrix pulcherrima moles
Fulminibus crebris, redeunti & cesserit igni,
En iterum soluet fulgens Lucina tenebras,
Candida sidereæ moderatrix Cynthia noctis.
Pallida sic vultum caligine Delia cingit,

Quę

Quæ Thracis vexilla notat, vagitibus auras
Ex quo Delphinus rupit; didicitque paternos
Ore vel infanti iam balbutire triumphos.
Eripuit lunare iubar si ludicra flamma
Delphino plaudens, quid regis feruor adulti,
Magnanimum rapiens generosa ad prælia Martem,
In Thraces poterit, quid sæua in cornua Phœbes
Bistoniæ? Timet illa tuas, Delphine, querelas,
Vagitusque pauet; ceu Colchica verba triformis
Thessaliasque notas Hecate tremit: Ire per vrbes
Hungariæ trepidat solito Bellona flagello,
Et furiæ Thracum posuere: assuescere tandem
Barbaricis iterum Pax incipit aurea Regnis:
Hinc adeo vultum aduersis præbere triumphis
Luna negat, grataque operit ferrugine frontem,
Dum Gallo plaudit puero Mæandrius ignis,
Ingenti puero, qui palmis computat annos,
Cuius adhuc ludi Lunam caligine mergunt.
Nec minus in nimbo nox intempesta tenebit
Argentum Phœbes, celeri quòd percita lapsu
Dædaleam præceps Discordia fertur in Æ[t]nam.
Quippe vbi Christiadum Pax floreat, & furor ardens
Belligeros acuat Pangæis rupibus enses,
Thracum auidos laterum, mœrebit Odrisia fracto
Cynthia tùm cornu. Variat Lucina triformis
Multiplices vultus, nemorum Latonia custos
Insequitur damas iaculo parcente minores,
Aprosque, & figit viuacis cornua cerui,
Tertia Tartarei refugit nec Regna Tyranni
In triuijs vlulata Hecate: Hinc expalleat vmbra

Sub illud tẽpus Turcæ aggressores excesserant.

Discordiæ simulacrum in dehiscentis Montis incẽdium præcipitatur.

Nubis ab obiectu, soluit vectigal amoris
Dum Roma Augustæ Soboli, cui prospera vultu
Nescia mutari sors arridebit eodem:
Quam comites laudes, decorum chorus, & bona mentis
Arbitra perpetuo circumdabit agmine virtus.
Hæc vbi dicta dedit, fausto ter murmure Cælum
Intonuit læuùm, dein Pincius æmula Cælo
Tormenta explodit collis: simul ignea surgit
Tempestas pretiosa auro: volat aurea serpens
Sulphureis alis, nec certo ludicra cursu
Nunc Cælum petit, ac timidis bellum admouet astris:
Nunc populi confertam vndam subit, & volat vdam
Cæsariem circum, croceo quæ sudat amomo:
Illa ambusta dedit nidorem, ast ille crumenam
Fœcundam tubus inuadit, furtoque volanti
Aurea diripuit sestertia. Sic vaga passim
Per pictas errant incendia ludicra turres.
Interea labor albus apum super arbore pompam
Explicat, accliui quæ dorso collis inhæret,
Plurima, siderei speciem, & procul ora theatri
Obijciens: sed Pax, & Hymen, queis plurima vestem
Lumina circumdant nitido certantia Phœbo,
Noctem abigunt, geminantq; diem. Nunc Cynthia vultum
Nubibus inuoluas, nam Phœbi aut lumina fulgent,
Aut Phœbo inuidiosa. Nouis tua lumina flammis
Composuisse caue, ne spretæ iniuria formæ
Iudicium Paridis renouet, Iunonis & iram.
An quia flammiuomæ rabida ora biuerticis Ætnæ
Prospicis, & patuli flagrantes montis hiatus,
Enceladum trepidas, renouataque bella Typhöei,

Per arbores MontemPincium inumbrantes funalia disposita erant.

Pacis & Hymenæi imagines, quam plurimis luminibus illustratæ, moli insidebant.

Ter-

Terrigenæ imponant vasto ne Pelion Ossæ,
Atque rebellantis primos tu, Cynthia, terræ
Excipias ictus, condis sub carcere nubis
Pallentes vultus? Cur non imbellis Olympum
Deseris, & pharetram sumens, arcumque sonantem
Sollicitas timidos deserta per auia ceruos?
Quamquàm si dubia trepidat formidine pectus,
Bellica tot resonant diro tormenta tonitru,
Timpanaque, lituique, tubæque, & classica Martis,
Quę vel labenti valeant succurrere Lunæ.
Sed cum belligerum Phœbe sinuetur in arcum,
Inque Lycáonias iacula aurea torqueat Vrsas,
Degeneris cur illam animi timor arguit? Ignes
Cernere num renuit Cœli bellantis Amazon;
Vrbs puero plaudit queis Martia pacis Alumno?
An quia sidereæ regnatrix Cynthia noctis
Cingitur astrorum excubijs, nitidaque cohorte,
Fulgere tunc renuit, cum lapsus ab ęthere cinxit
Sidereus rutilo Delphinum exercitus auro?
Vel quia cum raperet sitientia lumina Delphin,
Nec Triuię quisquam maiorem cerneret orbem,
Maluit ingrati quęsitam carceris vmbram,
Quàm lustrare Polum facibus, quas nullus adoret?
At nunc versutę referas arcana sororis
Delie. Cum turpem maculis variauerit orbem,
Aurea quas dudum pulchro nox firmatę celat,
Nunc trepidat, ne illas hominum lux Lyncea pandat,
Omnia cum referat nox inuidiosa diei.
Vel cum defigas oculis mortalia toruis,
Discrucientque tuum communia gaudia pectus,

Delphinus à Pace, & Hymenæo coronatus, innumeris facibus ornabatur.

Cim-

Cimmeria tumulas liuentia lumina noctæ,
Cogantur sacros ne delibare triumphos?
O Erebo dignum numen, siluisque Diana,
O benè vexillis Thracum damnata malignis!
Tu pluuias, ventosque vehis, nec torpuit ira:
Pendentes timuit, grauidasque vrbs Romula nubes.
Sed quoniam votis ANTONI militat Æther,
Nec ruit in gremium telluris Iuppiter, atros
Cynthia pro niueis egit frustrata iugales,
Vultumque albentem properato funere mersit,
Fulmina dum libant oculis blandita Quirites.
Cimmerias repetas nox intempesta cauernas,
Nam sine Apollineis radijs protendere lucem
Heróum Phœnix didicit, quem Regibus ęquat
Purpura, magnanimus sed pręfert Regibus ardor.
Coniurata tuis adspirant sidera votis,
Magnanime ò Princeps, cui cęlum, & sidera debent;
Namque auro, auspicijsque foues, quas candida Virtus
Æthereo iunxit sponso, propriasque dicauit,
Et Baccho exhilaras plebem profusus egentem,
Eque tua latè manat dextra aureus imber.
Hinc adeo pendent nubes, timor ipse leporem
Missilibus flammis addit: seruire videtur
Ambitiosa tuis rerum natura triumphis:
Dissimulans lucem se Cynthia nubibus abdit,
DELPHINI vt cedat radijs lux æmula solis.

FINIS.